



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

5. An liceat modò unam, modò alteram probabilem sententiam in eadem materia sequi.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

seca num. 31. dicta), posse Regnum ab alio Rege possessum occupari, si ejusmodi Rex cum probabilitate juris sit in ejus controversa possessione, quia nemo ut toties cantavimus, per hominem privatum (qualis profecto est Rex, vel Respublica quaecunque respectu alterius, qui sit suae absolutae potestatis) nemo, inquam, solitari potest à sua possessione, nisi certo moraliter coniter possidentem inique possidere.

33. In probabilitate, ex probationibus facti negant absolute plerique posse tunc Regem bellum gerere, sed debere recurri ad Iudices modo late tractato à Castro Palao l.c.n.5.

Sed sic est distinguendum. Potest Primo Regnum, de quo disceptatur, esse in possessione unius ex Regibus, & tunc ob probabilitatem ortam ex facti probatione non potest contra ipsum intentari bellum à alio Rege etiam probiores habente rationes facti: Ioan. Sanch. d. 64. num. 56. Ioan. de Lugo t. 1. de iust. d. 16. sect. 7. num. 98. quia obstat lex Canonica pluries repetita, cui omnes Fideles subfunt, quàmque nos supra §. 1. num. 14. attulimus, & inculcavimus.

Certe in hoc casu possessionis, quanto probatio facti ex probabilioribus rationibus uni favet Regi, & in casu, quem n. 30. huc remisimus, non est improbabile posse recurri ad Iudices eo modo, quo laudatus Castro P. l.c. prosequitur illum, si placet, adi; non enim nobis est orium ea, quae raro contingunt, universa percurrere.

34. Potest secundò dictum Regnum vacare, hoc est, in nullius Regis esse possessione, & tunc etiam nullus ex Regibus poterit in ejusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occupet: ita Vasq. & Tanner, quos sequitur citatus Merolla tom. 1. d. 5. c. 4. dub. 3. n. 204. Ratio est, quia obstat ius Regni vacantis: dum enim non est certum ius pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus liberum manet, sic Salas p. 2. tr. 8. de unio. sect. 10. n. 128. apud Castro P. cit. n. 108. praevalet enim Regni libertas, si non constat de servitute. Quare tunc Regnum, vel se gubernet, vel se alterutri ex Regibus gubernandum sponte tradat, vel certe recuratur ad Iudices, eo modo, quo idem Castro Palao ibidem affert.

35. Postremò si certus sit Rex Regnum ab alio Rege possessum esse suum, illum admoneat, ut Regnum cōsignet domino: si renuat, bellum genere contra ipsum poterit. Ita Vasquez. Mol. Salas apud Castro P. cit. n. 13. Quamvis enim Rex, qui occupat Regnum, non cognoscat veritatem, adhuc iniuriam materialiter fecit, quam propulsare licet illi, qui de sua certus est.

De Militibus.

36. Milites denique, sive subditi, sive non subditi, alius Regis, cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. sive actu serviant, sive ad bellum mercede conducantur, dum illis non constat de iniuria belli, possunt licite militare. Ita Valent. Vasquez, Sanchez, aliique apud Castro P. max citandum. Ratio est quia cuilibet licitum est alterum juvare in re, quæ præstatur bona. Bona autem præsumitur donec non constat esse malam. Id certe ita se habet in bello suscepto à Principe Christiano; in suspecto enim ab Infideli difficilius iustitia præsumenda est. Suarez, Vasquez contra Thom. Sanchez lib. 6. in decis. cap. 3. n. 5. quos sequitur citatus Castro Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. part. 8. num. 8.

COLLATIO BENEFICII

in mensis reservato.

37. Beneficiarius in ultima nocte mensis Papæ reservati moritur, postquam unum ex Horologiis signum medietatis noctis dedit: sed aliud ex illis eandem noctem, per suum pulsus, signavit post mortem Beneficiarii. Quæritur, An possit providere de hoc Beneficio Episcopus, qui vult se conformare cum secundo Horologio, atque adeo iudicare Beneficium vacasse in suo

mensis, An potius Pontifex summus, qui se conformare vult cum primo?

38. Dico posse quemlibet providere: & ille praevalere, qui prius conseret. Ratio est cruenta ex dictis, quia, cum Horologium quodlibet non aperte falsum faciat opinionem probabilem, probabile erit ius pro utroque, id est, Episcopo & Pontifice: Prævalere autem qui prius conseret, quia tunc subintrat Regula, quod: *Melior est conditio possidentis*, juxta jam dicta. Et certe passim Doct. firmant quando plures conserere possunt idem Beneficium, subsistere Provisionem quæ est prior tempore. Si res sit dubia, dicam inferius §. 7. v. Mensis. Vide etiam ibidem, v. Beneficium.

39. Dices. Provisus ab Ordinario, ut excludat provisionem à Pontifice, debet evidenter probare suam intentionem, & quod Beneficium sit libera collationis. Respondet id solum verum esse, quando Papa prius tempore providit, quando agitur de Beneficio, de qua dubitatur an sit reservatum: non autem quando agitur de expiratione mensis, & res est probabilis, pro Episcopo: nam tunc quia certum est Episcopum posse in suis mensibus providere, & duratio reservationis non est evidenter certa, imò est probabilis talem durationem non adesse, praevalere possessio iuris Episcopalis: Quare potius, debet evidenter adversarius probare, secus nihil faceret contra possessionem quam supponimus habere provisionem ab Episcopo.

§. V. An liceat modo unam, modo alteram probabilem sententiam in eadem materia sequi.

1. Probabile est, verbi gratia, hoc vestigial injuste esse impositum: probabile item, esse impositum iuste: possumne ego hodie, quia sum exactor regius vestigialium, exigere ejusmodi vestigial, sequendo opinionem assertentem illud iuste esse impositum, atque adeo licere mihi sine iniuria illud exigere, & cras, imò etiam hodie quia sum mercator, illud occulte defraudare, sequendo opinionem assertentem illud à iustitia deficere? Abstrahimus ab eo, quod exactor acceptando officium, promittit tacite sequi opinionem probabilem faventem Regi, juxta dicta §. 3. n. 20.

2. Probabile rursus est ablationem famæ pecunia compensari, probabile non compensari: possumne ego hodie infamatus velle ab infamante compensationem pecuniam, & cras, imò hodie ego ipse alium infamatum nollem famam proximi à me ablatam, compensare pecunia?

3. Probabile item, eo licere æquivocare in iudicio causa semiplena, probabile non licere: possumne ego hodie reus æquivocare, cras verò creatus Iudex cogere reum, ut non æquivocet? Hæc & innumerabilia ejusdem generis hic in controversiam vocantur.

4. Pater Franciscus Bardi in utraque Theologia vit nostræ Societatis eruditissimus, cuius familiaritatem ab hinc annis triginta, & amplius, cum in Collegio Romano cursui Theologico operam navavimus, contraxi, & deinceps similibus studiorum communicatione, fovimus utrique, & audivimus, Pater, inquam Bardi de conscientia, disp. 4. cap. 14. de hac opinione late disputat, & pro negativa sententia affert Cardinalem de Lugo Pasqualium, & Franciscum de Lugo.

5. Verum quidquid sit de autoribus, venio ad quæstionem. Asserto posse licite fieri ejusmodi variationem prout libet, tum in casibus relatis, n. 1. 2. & 3. tum in similibus, modò unam, vel alteram limitationem præ oculis habeas, quam max subdam. Ita Ioan. de Lugo de Euch. d. 15. sect. 2. aliique. Ratio efficax hujus assertionis est, quia in nostra libertate est sequi quamcunque opinionem practice probabilem, si quidem eam sequendo semper prudenter humano more, ut supra sæpe dictum est, operabimur.

6. At ex hac sententia sequuntur sequentia incommoda. Primò, si hodie sit jejuniij dies, cras verò sit dies Dominica

Dominica, & audita hora mediæ noctis comedat quis cetera, utpote in tempore pertinente ad diem. Dominica sequentem, ex vi probabilioris, quam facit prædictum horologium, certe peccatum non committet, quia sequitur opinionem probabilem, quam facit quodlibet horologium; quod non clare constat esse falsum. Hic idem audit, post quadrantes, aliud simile horologium dans signum ejusdem mediæ noctis, possit hinc conformare, sequendo opinionem probabilem, quam facit hoc secundum horologium, ac dicere, comedam prædictam pertinuisse ad diem præcedentem, sed pro die Dominico esse prorsus jejunium; ad proinde posse recipere Sacram Eucharistiam. Ita Ioan. de Lugo l. 2. n. 46.

7. Secundò, si quis, audito primo horologio dante signum mediæ noctis, Sacram faciat, (suppono hunc habere privilegium celebrandi statim à mediâ nocte), & illo absoluto audiat aliud horologium signans eandem noctem mediam, possit prætereundum juxta hoc horologium non celebrasse hoc die, sed præcedente, atque adeo non celebrare. Ita Ioan. de Lugo l. 2. n. 48.

8. Tertiò, in quadragesima possit quis audito primo horologio post mediam noctem prætereundum, pro die sequenti sequens opinionem illam, quod antea patet comestio- nis non sit peccatum mortale, sic idem ibid.

Postea vero audit secundum horologium, possit se hinc conformem reddere, ex tunc computare diem sequentem jejunij, ut possit deinde plenè comedere, prætextu quod in hoc die computato juxta secundum hoc horologium nihil comederit.

9. Quartò, Sacerdos, qui nondum recitavit Vesperas hodiernas providens parum abesse, ut detur signum mediæ noctis ab hoc horologio, potest conformare alteri horologio, à quo prævidetur tardius esse dandum ejusmodi signum, & sic recitationem tantisper differre. At deinde dato signo mediæ noctis à primo, possit sibi persuadere se esse liberum à recitatione, quia juxta hoc primum horologium, quod nunc vult sequi, jam dies præcedens præterit, cui unus Vesperarum erat additum. Idem ibid.

10. Quintò, debet quis hodie dare ex justitia numerum aureum alicui, quod sit solus dies, ita, si intra diem non solvat non debeat duplumolvere sequenti die. Hoc posito: imminente sonitu mediæ noctis exigit creditor aureum, abnere debitor possit, quia vult expectare aliud secundum horologium tardius sonitum, at postea dato sonitu à primo horologio celerius, possit debitor dicere, sequor hoc primum horologium: atque adeo contendo transactum esse præcedentem diem, & sic me aureum numerum non debere. Idem ibid. n. 49.

11. Sextò, ex contractu cum Petro debes asferre equum tuum ab ipso intra hunc annum: sed ex alio contractu si absteris transacto anno, debes illi dare centum aureos. Hoc posito; ultima die anni post mediam noctem juxta primum horologium auferis equum à Petro, debes ergo centum, quandoquidem abstulisti equum incepto jam secundo anno; Sonat deinde secundum horologium aliquantò tardius sed postquam equus fuit à te ablatum, posses dicere, Amice nihil debet, quia sequens opinio probabilem hujus secundi horologii non absteris equum in sequenti, sed in præcedenti anno, in quo ego non poterim ex vi prioris contractus, pœnam tamen solvendi centum non incurri; nã pœna solvendi adest in secundo contractu. Idem ibid. n. 53.

12. Septimò, Si quis subiaceat voto hodie jejunandi, amplecti possit opinionem probabilem, quæ affirmat licere votum propria autoritate commutare in æquale: commutat ergo sibi dictum jejunium in certam elemosynam, & sic impunè frangat jejunium; Possit deinde amplectens opinionem probabilem affirmantem non licere votum propria autoritate commutare in opus æquale, possit inquam, non elargiri elemosynam: & qui jejunium jam invenitur fractum irreparabiliter, liber etiam esset à jejunio: ex Bagdi num. 5. s. c.

Part. I.

13. Octavò, Si jejunandum in vigilia cujusdam Sancti, sit autem probabile hodie esse vigiliam, sit item probabile esse cras; possit quis dicere: Hodie nolo jejunare, quia jejunabo cras, quando est probabile esse onus jejunandi, & ex hac probabilitate liceret ei hodie comedere. Cras deinde possit dicere: hodie nolo jejunare, quia est probabile heri fuisse jejunandum, quare possit hodie plenè comedere, & sic vigiliæ jejunium effugere. Ex de Lugo l. 2. n. 50.

14. Nonò, Sacerdos, meridiæ jam imminente, die festo, dicat: Sequor sententiam docentem posse celebrari sacrum paulò post meridiem, & sic à Sacro tantisper sine peccato supersedeat; possit mox, post meridiem, variare opinionem, ac dicere: Sequor contrariam sententiam asserentem illicitum esse celebrare Sacrum à meridiæ, atque ita, eo die festo possit Missam non celebrare, nec, ut supponimus, audire, quia Missa non adest: de Lugo l. 2. n. 51.

15. Est probabilis opinio: Testamentum factum sine requisitis à iure esse servandum in foro conscientie, tum quo ad hæreditatem; tum quo ad legata, & est probabilis etiam opinio servandum in eodem foro non esse. Iam sit Petrus hæres ex dicto testamento, possit, sequens opinionem docentem illud testamentum esse validum, retinere hæreditatem, sed insuper, sequens opinionem aliam asserentem illud non esse validum, possit negare legata legatariis, & sibi eadem retinere, quod videtur absurdum. Lege Sanchez in c. sc. l. 4. cap. 1. d. 14. latè.

16. Ut hæc incommoda ab universali doctrina summo octavo data vitentur, afferunt varias distinctiones, limitationesque prælaudati Doctores: ita ut operosum valde sit vel mediocriter docto Confessorio dignoscere in particularibus eventibus, quandonam militet universalis doctrina, quandonam limitatio: experiamur, ergo nos, An, superis aspirantibus, possimus duarum Regularum lucem facilem terere, atque expeditam viam.

17. præmitto opinionem quampiam prædictè probabilem esse, duplici modo posse, altero independenter, altero dependenter proximè à nostra voluntate. Quod, v. g. hoc vectigal sit probabiliter justum, vel probabiliter injustum, unde probabile fiat, posse, vel non posse illud defraudari, vel exigi, non dependet à nostra voluntate, sed ex natura, & circumstantiis tributorum propriis. At, quod quadrans, v. g. ille temporis inter pullum primum, & secundum horologii fluens pertinet ad diem sequentem vel præcedentem, à mea voluntate dependet proximè, & immediatè, nam propter incertitudinem horologiorum, probabilius tamen, possum non recipere, & possum recipere illud tempus pro die alterutro, ut mihi libuerit. Dico, (immediatè, & proximè) nam si ego ex hoc territorio, v. g. ubi adest obligatio jejunandi, me transferam in locum, ubi ejusmodi obligatio non adest, unde me probabiliter liberem à jejunio, à me quidem dependet translatio, sed non proximè à me habetur probabilitas; habetur enim hæc immediatè à loco exempto, ad quem me liberè contuli.

18. His positis, facilis, expedita, & brevis sit prima Regula: Nunquam nos posse opinionem probabilem semel electam relinquere, & aliam quamvis probabiliorē, in eadem occasione amplecti, quando probabilitas à nobis immediatè, & proximè dependet. Ratio regulæ est, quia sic in eadem occasione possemus dare, & tollere probabilitatem, quod esset simul ædificare, & destruere quo nihil absurdius.

Hinc in casibus Vectigalis, Famæ, & æquivocationis in judicio positus num. 1. 2. & 3. licetbit (nisi obstat secunda regula, quæ tamen in his tribus eo modo quo allati sunt, non obstat, ut iterum mox num. 21 dicam) licetbit inquam in eadem occasione, & materia variare opinionem; quia probabilitas in his materiis non dependet immediatè à nostra voluntate, sed à natura Vectigalis famæ, ludicii. Contra, in eventibus variorum horologiorum positus à num. 9. usque ad 14. & in illa

voti

voti commutatione posita *num. 15*. quia probabilitas immediatè à nostra electione dependet; nequaquam licebit.

19. Secunda Regula. Quando probabilitas à nobis immediatè non pendet, in eo tantummodo casu nequit variari in eadem occasione sententia, quod propter aliquam circumstantiam apparet ratio, quæ reddat huc, & nunc alterutram prædictè improbabilem, in aliis enim casibus poterit: id ut facilius intelligas, meminissem ex supradictis §. 3. n. 12. debes, aliquid esse speculativè probabile: quod in particulari hic, & nunc, seu prædictè propter aliquam supervenientem rationem est improbabile. Probabile est, v.g. valde conferti Baptismum per illam formam: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*, at proximè propter illam rationem, cum certum possis Sacramentum conferre proximo conferas quod aliquam continet incertitudinis formidinem, omnes *supra*, §. 4. n. 10. conclusimus, proximè & in ordine ad proximum non esse sic Baptismum conferendum. His in memoriam redactis, exemplo hæc secunda Regula probabitur simul, & fiet manifesta. Probabile est votum, v.g. m. i. jejuniij posse authoritate propria in opus æquale à me commutari, probabile item non posse: atque hæc ex natura, & circumstantiis voti, non verò ex nostra libertate.

20. Dico, in hoc casu, posito quod elegerim sequi opinionem affirmantem, posse jejuniij à me commutari, amplius non licere mihi in eadem occasione sequi negativam, quæ asserit non posse, quia nunc adest clara circumstantia quæ reddit huc: & nunc improbabilem hanc negativam: circumstantia autem est obligatio certa, quam ego habeo servandi vel ipsam votum, vel id, in quod legitime sit commutatum, quæ obligatio cluderetur, si fieri illa variatio opinionum in eadem occasione posset. Pari modo si ego centum tibi certò debeo, non possum per mutationem opinionum quantumcunque alias probabilium, ea tibi denegare, quia hæc particularis circumstantia certi debiti, id omnino modo dicto, prohibet.

21. Ex his habes, quia prima regula officit sex primis incommodis relatis *n. 6*. & secunda officit octavo, & nono *n. 13*. & 14. allatis, ideo negamus in omnibus his novem, & similibus casibus excipi sine peccato posse in eadem occasione mutationem opinionum: At verò quia in casibus relatis *n. 12*. & 13. ibi referuntur, atque in similibus, nova ex his regulis abstat, ideo tunc, etiam in eadem occasione, materiaque licitam esse hujusmodi mutationem concedimus.

22. Denique in casu relato *num. 15*. de Testamento minus solemnem, dico ibi obitare secundam Regulam; nam posito quod acceptas tanquam validum illud testamentum, obligaris acceptare omnia quæ in eo continentur, ergo posita tua acceptatione ponitur obstaculum, ne aliam optionem amplecti valeas. Antecedens manifestè probatur, quia illud testamentum se habet quo ad omnes sui partes per modum unitus & indivisibiliter ratione unius ultimæ voluntatis Testatoris cadentis super hereditatem, & ei hereditati connexa legata. Vel ergo juxta forum externum rejiciatur totum Testamentum, vel si à te in foro interno recipitur, recipi totum necesse est, secus eadem una voluntas Testatoris à te recipitur, & non recipitur, quo nil absurdius.

Vnde habes legata prædicta legatariis omnino à te deberi, siquidem neque ea tibi potes retinere, nec Hæredi ab intestato dare, nec Testamentum à te acceptatum, quod, ut probavimus, quo ad omnes sui partes acceptari à te debet, legatariis esse danda disponit.

23. Scio Thomam Sanchez in *conf. 4. c. 1. d. 14. n. 11* sic docere: *Nota quod hæres in minus solemnem testamentum non potest retinere hereditatem, & nolle solvere legata, quasi unus una opinione, quo ad retinendam hereditatem, & utens alia quo ad solvenda legata. Ratio est, quia sententia quæ dicit non deberi ea legata, non ea, applicat sibi, sed*

*hæredi ab intestato. Item, quia ubi semel vult uti illo testamento, tanquam valido, retinet omnia ejus legata implere, scilicet vel danda legatariis vel hæredi ab intestato. Scio inquam hæc, & interteris quidem non dissentio, sed non approbo hoc postremum: Vel dando hæredi ab intestato, nec enim id non approbare posse facit ratio modò dicta, quæ si Sanchez attulisset, is enim solus dixit: *Ubi semel vult uti illo Testamento, retinet omnia ejus legata implere*, nec hujus dicti rationem attulit) quam, inquam, si attulisset, advertisset ea legata non posse dari hæredi ab intestato & colligitur ex ipsa doctrina Sanchez, nam si eo ipso, utens illo testamento tenetur implere omnia legata, quo modo poterit ea negare legatariis, & dare hæredi? sanè si hoc posset, convinceretur non teneri ea legata implere.*

§. VI. De Conscientia dubia.

1. **R**ecole quæ dicta sunt §. 1. *num. 5*. ut quid sit conscientia dubia, nescias, ne scilicet ea, quæ hic dicuntur, cum conscientia probabili, quæ hæctenus explicata est, confundantur.

Secundæ operans ex conscientia dubia.

2. Peccare secundum qualitatem peccati, de quo dubitat, si possit de rei veritate doceri, & non curet, certum est apud omnes: ita Vasquez, Thom. Sanchez. alique apud Ioan. Sanchez. *d. 4. c. 1. n. 2*. quia qui dubitat, an hoc in his circumstantiis, sit peccatum, necne, & operatur, dubium non deponendo, videtur parum curare, an id, quod agit peccatum sit, necne, ergo elegit eam actionem indiscriminatim sive bonam, sive malam; ergo, quantum est ex se jam infestam malitia.

3. Dixi (in his circumstantiis) ut notarem nihil tibi nocere dubium aliquod speculativum, seu in genere; si non addit hic, & nunc prædictè, & proximè ad actionem Sic Valde, *p. 2. d. 6. c. 1. n. 2*. Th. Sanchez lib. 2. de mat. c. 4. n. 3. & in dec. 1. c. 1. n. 1. Ioan. Sanchez d. disp. 4. 1. Potes, v.g. dubitare, an labor te die festo sit licitum, atque hoc dubium est in genere speculativum: at non dubitabis, sed rectè estimabis. Modè tibi propter pauperitatem, licere laborem; quod est judicium practicum, per quod rectè deponitur dubium illud in genere, quod alibi satis explicatum est.

Ut deponas ejusmodi dubium in genere, debere tibi aliquod affulgere, per quod tibi licet illud deponere, ut in casu dicto est pauperitas, scilicet temere deponere: *supra* in simili dictum est §. 2. n. 9.

Sed quid facies, qui diligentiam apponere non valet ad deponendum dubium, vel ea posita, nihil invenit, quod dubium avertat? Respondet tunc illud, quod est tutius, est eligendum, pro hoc enim casu maxime ex illa regula in dubiis tutior pars est eligenda, C. illud Dominus, de Clerico excom. c. Azot. p. 1. lib. 2. cap. 1. 66.

4. Sed quid, si quod tutius est, discernere nequeas, & ex alia parte urgeat opus faciendum? Dubitas, v.g. an in hoc die festivo, propter pauperitatem, laborare tibi sit concessum, nec habes qui te de veritate doceat, dum te interim fame torqueris; similiter si instent duo præcepta, v.g. audiendi Missam, & assistendi graviter ægrotanti, dubites autem quodam sit urgentius præceptum, carereque magistro, quid docere te possit, quid tibi faciendum?

Respondeo. Facias quod tibi magis expediens, in Domino, ex c. duo mala, & dist. 1. & c. cap. Nervi testicularum, attentis omnibus, videtur, quod si adhuc anceps fueris, fac illud quod tibi placuerit; cum enim non sit major ratio de uno, quam de altero, quandoque elegeris, ratum coram Deo erit. Quid si adhuc per ignorantiam putes, quodlibet, quod eligas, esse peccatum? Respondet: Nullo tunc committi peccatum, dixi *supra*, §. 1. n. 7. & 8. Eadem Cast. 1. 1. n. 1. d. 3. p. 1. n. 7. citans Thom. Sanch. Hæc in universum: ceterum ex mox dicendis multa